PT 2475
.L3 A33
1867
Copy 1

0 020 517 510 6

T 2475
L3 A33
867
Copy 1

Respectfully presented to the Smithsonian Institution by the Translator

SCHILLER'S

SPAZIERGANG,

Translated into Latin Verse.

Schiller, Johann Christoph Friedrich von

BY

SIR J. F. W. HERSCHEL, BART.

LONDON:
Printed by
R. BARRETT AND SONS, 13, MARK LANE.
1867.

PT2475
.L3A33
1867

DEAMBULATIO.

I.

Mons, mihi purpureo cui splendet lumine culmen,
  Suaviter in clivos sole micante tuos,
Salve! Vos etiam, florentia rura, nemusque
  Argutum, aërii quod tenuêre chori.
Vos, quæ nigrantes lucos collesque sereno
  Conditis amplexu, concava vasta poli
Jam studiis fessum et vanis sermonibus ægrum
  Accipite elapsum carcere me cameræ!
Ut nova vis, Zephyris spirantibus, influit artus!
  Ut jucunda meis vivida lux oculis!
Jamque, viâ ducente, per arva virentia latè
  Æquore gramineo, prataque, liber eo
Quà dubiâ volitat vix tactis floribus alâ
  Papilio, et vigilum murmurat agmen apum.
Undique versicolor nitido certamine campus
  Fulget. Mox decorat mitior arva Venus.
Nunc, Zephyro moriente, instat Sol fervidus ictu,
  Et tremulum e cœlo spargit alauda melos.
Nunc aura in sylvis rediviva susurrat, et alnus
  Nutat, et incurvi graminis unda micat.
Ramorum ambrosiâ sub nocte, ubi frigus odorum
  Fagus spissa facit, jam loca tecta peto.
Subripiunt tenebræ ex oculis cœlumque diemque
  Surgit ut arcanum per nemus arcta via.
Cœruleo furtim risu penetrabile lumen
  Per frondes raris ludit imaginibus:
Ecce autem, subitò, rupto velamine, sylva
  Vix tolerandum oculis reddit aperta diem.
Panditur, en! campus prospectu latior ullo
  Clauditur et mundus montibus ac nebulâ.

Despicio e speculâ præruptæ rupis in alveum
  Attonitus, vitreâ quo fluit amnis aquâ
Margine gramineo. Supra caput arduus æther
  Æthera sub pedibus. Terror utrimque premit.
Inter utrumque tamen medius per inane, viator
  Scrupea quâ properat semita tutus eo
Descensu facili. Ripæ fugêre feraces,
  Et cultâ renitet valle laboris honos.
Hinc atque hinc nitidas, vicino limite, sepes
  Comptos inter agros texuit alma Ceres
Legem inscriptam arvis; quo numine vis cohibetur
  Ferrea, postquam hominum tecta reliquit amor.
Albida conspicuo nunc lustrat culmina flexu,
  Nunc latet in tenebris, per nemora ima, via
Oppida conjungens, vicosque, urbesque remotas.
  Labuntur liquidùm, quà rapit unda, rates.
Plurimus auditur pecudum mugitus in agris.
  Pastoris cantum reddit imago procul.
Ripa nitet villis; fumantia culmina sylvis
  Abdunt se; et dubio tecta domûsque jugo
Pendent. Tranquillâ degens in pace colonus
  Circumjecta casæ diligit arva suæ:
Vitis amat foliis humiles ornare fenestras,
  Ulmus et amplexu mœnia tuta fovet.
Felix! Cui nondum libertas falsa refulsit
  Nec soliti mores displicuêre pio.
Sic tibi carpendas referat novus annus aristas,
  Utque operosa dies, sic tibi vita fluat!

II.

Ah! ubi nunc sylvæ? Gratissima rura valete!
  Mutatâ specie, spiritus alter adest.
Fas paribus junxisse pares; ultroque catenis
  Dissiliunt ruptis consociata male!
Nobilitas vulgo secernitur. Ordine longo
  Egregia exsuperat populus omne nemus.
Omnia conveniunt pariter ratione modoque,
  Nec, si conspicua est Regula, Rector abest.

Illic sceptra tenens, celsâ dominatur in arce
  Quâ longè Acropolis fulgida tecta micant.
Pelluntur Fauni et quærunt per aperta latebras:
  (Incola sed pietas vivere saxa jubet).
Densatur fervetque hominum concursus, et ardet:
  Arrectos animos ocyor unda movet.
Viribus oppositis alternos ferre triumphos
  Contingat: junctæ vincere cuncta valent,
Mille ubi fit manibus labor unus, mentibus unus
  Impetus; uno ictu pectora mille tremunt:
Quo veneranda solo requiescunt ossa parentum,
  Quo patrius fervor, jura fidesque vigent;
Quo delubra Deûm surgunt, præsentiaque adsunt
  Numina, mortales visere læta domos.
Munera magna ferunt. Imprimis utile aratrum
  Cerere acceptum est, anchora Mercurio,
Dat vitem Bacchus, florentem Pallas olivam
  Præbet; Neptuni prosilit acer equus.
Invehitur junctos moderata leones
  per portas: incola fausta manet.
Mœnia sancta! quibus totum exundavit in orbem
  Cultus, et instruxit moribus ingenuis.
His pietate graves soliti jus dicere rostris.
  Hæc juvenum in pugnas agmina porta dedit
Pro patriâ atque aris; quos matres mænibus altis
  Gestantes pueros, prospiciunt lacrymis
Urbe recedentes: tum raptim ad templa feruntur,
  Et læti ut redeant supplice voce rogant.
Dii reditum fallunt; sed concessêre triumphos.
  Aspice! quæ in busto carmina sculpta legas:
"In Spartam veniens, dic nos obiise, viator!
  Quâ natos morte perire suos."
Magnanimi Heroes! Patriæ pro sanguine vestro
  Largius effundit munera cuncta solum.
Strenua Libertas commercia tuta per orbem
  Pandit, et Oceanum crebra carina secat.
Dii Fluvii adnutant riparum ab arundine glaucâ:
  Assuescunt undis pondera ferre suis.

Concidit (at fugiens Dryas ingemit) icta bipenni
  Quercus, et ingenti monte fragore ruit.
Vectibus impulsum nutanti pondere marmor
  Proruit; et subtus fossor inire solum
Instat. Longè alterna boant, incude recussâ,
  Verbera: scintillat luce micante chalybs.
Assiduo auditur decurrere murmure fusis
  Linum; atque arguto pectine tela sonat.
Lata procul statio resonat clamore magistri
  Quà merces classis trans mare ferre parat.
Ecce! Coronatæ, reddunt dum jubila nautæ,
  Nunc aliæ veniunt, lætaque aplustra volant
Malis, pro reditu. Tum crescit in urbe tumultus,
  Plurima perque forum barbara lingua sonat.
Jam cumulantur opes: fructûsque et præmia glebæ
  Omnis; seu quæ ardenti Africa sole coquit,
Sive Arabum nutrit tellus, sive ultima Thule.
  Implet Amalthæum Copia divitiis
Cornu; quæ speciosa artis miracula promant
  Ingenio junctæ. Prosiliunt tabulis
Formæ hominum, vultûsque Deûm, pictore jubente,
  Sculptorisque ictu marmore vita calet.
Alta columna ædes simulantes concava cœli
  Sustinet: ante oculos fictus Olympus adest.
Arduus, en! tumidum leviter pons transvolat amnem
  Iris ut, aut nervo missa sagitta salit.
Scrutator veri, nubem pellente Mathesi
  Viribus occultis sentit inesse Deum—
Appetit aut fugit ut magnes—perque æthera lumen
  Insequitur solers, aëra perque sonum.
Legem quâ numeris certis Fors ipsa ligatur
  Cernit, ut immotum, nocte ruente, polum.
Ingenium quæ fert, quæ mens divinior afflat
  Arte suâ Scriptor tempus in omne [illegible]. refert
Vera vident homines, erroris nube remotâ
  Exortum ut fugiunt somnia vana diem.
Vincula rupta cadunt. Utinam tunc fræna, soluto
  Apta Metu posset suppeditare Pudor!

Te sani votis, poscunt clamore furentes
  Libertas! Tanto nomine cuncta ruunt.
Ac veluti ripâ cum solvitur anchora, frustra
  Præmonitis nautis, corripit unda ratem,
Littora conspectu fugiunt: tum saucius Euro
  Malus, et ignotum per mare terret iter—
Conditur Arctophylax; signis fiducia nullis:
  Decipit internus conscia corda Deus.
Religioque fidesque avertunt lumina. Reddit
  Nil nisi perjuros perfida lingua sonos.
Vilis Adulator cordis circa intima serpens
  Indiciis falsis scindit amicitias.
Dente venenato damnosa Calumnia mordet,
  Supprimit et torvo Proditor ore minas.
Lucri fœda fames corrumpit pectora: sacri
  Jam neque plus liber restat Amoris honos.
Quæ natura dedit veri certissima signa
  Hæc simulanda vafrâ comperit arte Dolus—
Qualia dicta valet vix promere pectus anhelum—
  Ut solum agnoscant, qui tacet, esse probum.
Exiguos tutos, ac non venale tribunal
  Laudibus attollit vulgus ad astra: simul
Majestate vigens fictâ stat juris imago
  Ad solium regis. Decipiens oculos
Et speciem vitæ referens, exsangue cadaver
  Per longos annos—sæcula longa manet:
Insurgens donec subito
~~Donec inopino surgens~~ natura vigore
  Corpore defuncto sentit abesse animam;
Ultricisque cadens fatorum pondere et ævi
  Ferratis manibus machina tota ruit.
Tigris uti, sitiens qui rumpit claustra cruorem
  Et cæpit Libycum jam meminisse nemus—
Gens humana nequit plus tollere; perque ruinas
  Ad cædem, ad flammas, ut potiora, fugit.
Pandite vos, portæ! Procumbite mœnia! Capto
  Sic liceat, rabies quâ rapit, ire viam.

LIBRARY OF CONGRESS
0 020 517 510 6

III.

At quo perventum est? Vagor amens. Jam per hiatûs
Vallis, et anfractus, semita nulla patet!
Hortorum decus abreptum; sepesque relictæ
A tergo; ~~atque hominum disparuêre notæ~~ hisque locis incola nullus adest.
Informes video moles, primordia rerum!
Fingentem expectant marmora bruta manum.
Desilit abrupto scopuli de vertice torrens.
Radices tortas spumea vexat aqua.
Omnia vasta! Inter terram cœlumque profundum
Sola aquila impendet, nubila despiciens.
Nullus ad attentas Zephyrus nunc advehit aures
Luctantum gemitûs, lætitiæve sonos.
Hic tandem solum me sentio! Jamque benigno
Naturæ in gremio somnia tetra volant
Quæ meditans, dubiâ oppressus caligine vallis
Horrendæ, diris angor imaginibus.
Alma Parens rerum! Puro venit æthere in artûs
Plenior ex adytis vis renovata tuis.
Jam redit et fervor, redeunt generosa juventæ
Gaudia, ceu quondam, spesque, vigorque animo.
Fluctuat inconstans hominum sententia: semper
Se repetens gestis, in nova fert animus.
Tu, splendore novo, ac semper florente juventâ,
Legibus æternis fida ministra manes.
Quæ tibi crediderit fervens juvenilibus annis,
Quæ puer ipse procax, pignora tuta, viro
Nescia fallendi reddis; puerosque, senesque
Altrici in gremio protegis æqua tuo.
Cærula suspiciens cœli, terramque virentem
Sæcula per lustrans non numeranda, viget
Gens hominum. Solemque ipsum qui risit Homero
Cernimus indomitâ luce mitentem hodié.

J. F. W. Herschel.

Collingwood, April 15, 1867.

FEB. 6, 1869

0 020 517 510

LIBRARY OF CONGRESS
0 020 517 510 6